

## **NOVENA DI NATALE**

### **Profezie**

**I cantori intonano:** Regem venturum Dominum, venite adoremus.

**Il coro risponde:** Regem Venturum Dominum, venite adoremus.

**Cantori:** Jucundare, filia Sion, et exulta satis filia Jerusalem. Ecce Dominus veniet, et erit in die illa lux magna, et stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lac et mel; quia veniet Propheta magus, et ipse renovabit Jerusalem.

**Coro:** Regem venturum Dominum, ecc.

**Cantori:** Ecce veniet Deus et Homo del domo David sedere in throno, et videbitis, et gaudebit cor vestrum.

**Coro:** Regem venturum Dominum, ecc.

**Cantori:** Ecce veniet Dominus, protector noster, Sanctus Israël, coronam regni habens in capite suo: et dominabitur a mari usque ad mare, et a fluminis usque ad terminos orbis terrarum.

**Coro:** Regem venturum dominum, ecc.

**Cantori:** Ecce apparebit Dominus, et non mentietur: si moram fecerit, expecta eum, quia veniet et non tardabit.

**Coro:** Regem venturum Dominum, ecc.

**Cantori:** Descendet Dominus sicut pluvia in vellus, orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis, et adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient ei.

**Coro:** Regem venturum Dominum, ecc.

**Cantori:** Nascetur nobis parvulus, et vocabitur Deus fortis: ipse sedebit super thronum David patris sui, et imperabit; cuius potestas super humerum ejus.

**Coro:** Regem venturum Dominum, ecc.

**Cantori:** Bethlehem, Civitas Dei summi ex te exiet Dominator Israël; et egressus ejus sicut a principio dierum aeternitatis, et magnificabitur in medio universae terrae, et pax erit in terra nostra dum venerit.

**Coro:** Regem venturum Dominum, ecc.

(Nella vigilia della natività) **Cantori:** Crastina die delebitur iniquitas terrae, et regnabit super nos Salvator mundi.

**Coro:** Regem venturum Dominum, ecc.

**Cantori:** Prope est iam Dominus.

**Coro:** Venite adoremus.

## **Cantico responsoriale**

(si canta alternandosi)

Laetentur coeli, ed exultet terra, \* jubilate montes laudem.  
Erumpant montes jucunditatem, \* et colles justitiam.  
Quia Dominus noster veniet, \* et pauperum suorum miserebitur.  
Rorate, coeli, desuper, et nubes pluant justum, \* aperiatur terra, et germinet Salvatorem.  
Memento nostri, Domine, \* et visita nos in salutari tuo.  
Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, \* et salutare tuum da nobis.  
Emitte Agnum, Domine, dominatorem terrae, \* de petra deserti ad montem filiae Sion.  
Veni ad liberandum nos, Domine, Deus virtutum, \* ostende faciem tuam et salvi erimus.  
Veni, Domine, visitare nos in pace, \* ut laetemur coram te corde perfecto.  
Ut cognoscamus, Domine, in terra viam tuam, \* in omnibus gentibus salutare tuum.  
Excita, Domine, potentiam tuam et veni, \* ut salvos facias nos.  
Veni, Domine, et noli tardare, \* relaxa facinora plebi tuae.  
Utinam dirumpes coelos, et descenderes, \* a facie tua montes defluerent.  
Veni, et estende nobis faciem tuam, Domine, \* qui sedes super Cherubim.  
Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, \* sicut erat in principio et nunc et semper, per omnia  
saecula saeculorum.

## **Capitolo**

Praecursor pro nobis ingreditur Agnus sine macula secundum ordinem Melchisedech, \*  
Pontifex factus in aeternum, et in saeculum saeculi \* Ipse est Rex justitiae, cuius generatio non  
habet finem.  
Deo gratias.

## **Inno**

En clara vox redarguit,  
obscura quaeque personans,  
procul fugentur somnia:  
ab alto Jesus promicat.  
En Agnus ad nos mittitur  
Laxare gratis debitum;  
omnes simul cum lacrymis  
precemur indulgentiam.

Beatus Auctor saeculi  
servile corpus induit:  
ut carne carnem liberans,  
ne perderet quos condidit.  
Castae parentis viscera  
coelestis intrat gratia:  
venter puellae bajulat  
secreta quae non noverat.

Domus pudici pectoris  
templum repente fit Dei:  
intacta nesciens virum,  
concepit alvo filium.

Deo Patri sit gloria,  
Ejusque soli Filio,  
cum spiritu Paraclito  
in saeculorum saecula.

Amen.

Rorate coeli desuper et nubes pluant Justum.  
Aperiatur terra et germinet Salvatorem.

Antifone al Magnificat:

- 16 dicembre: Ecce veniet Rex Domunus terrae et Ipse auferet jugum captivitatis nostrae.  
17 dicembre: O Sapientia, quae ex ore Altissimi prodiisti, attingens a fine usque ad finem,  
fortiter, suaviterque, disponens omnia, veni ad docendum nos viam prudentiae.  
18 dicembre: O Adonai et Dux domus Israël, qui Moysi in igne flammæ rubi apparuisti, ed in  
ei Sina legem dedisti, veni ad redimendum nos in brachio extento.  
19 dicembre: O Radix Jesse, qui stas in signum populorum, super quem continebunt Reges os  
suum, quem gentes deprecabuntur: veni ad liberandum nos; jam noli tardare.  
20 dicembre: O Clavis David et sceptrum domus Israël, qui aperis, et nemo claudit; claudis, et  
nemo aperit: veni, et educ vincatum de domo carceris, sedentem in tenebris, et umbra  
mortis.  
21 dicembre: O Oriens, splendor lucis aeternae, et sol justitiae: veni, et illumina sedentes in  
tenebris, et umbra mortis.  
22 dicembre: O Rex gentium, et desideratus earum, lapisque angularis, qui facis utraque unum:  
veni, et salva hominem, quem de limo formasti.  
23 dicembre: O Emmanuel Rex et Legifer noster, expectatio gentium et Salvator earum, veni  
ad salvandum nos, Domine Deus noster.  
24 dicembre: Cum ortus fuerit sol de coelo, videbitis Regem Regum procedentem a Patre  
tamquam sponsum de thalamo suo.

### **Magnificat**

Magnificat \* anima mea Dominum,  
et exultavit spiritus meus \* in Deo salutari meo,  
quia respexit humilitatem ancillæ suaæ. \* Ecce enim ad hoc beatam me dicent omnes  
generationes,  
quia fecit mihi magna qui potens est, \* et sanctus nomen ejus,  
et misericordia ejus a progenie in progenies \* timentibus eum.  
Fecit potentiam de brachio suo, \* dispersit superbos mente cordis sui;  
depositus potentes de sede \* et exaltavit humiles;  
esurientes implevit bonis, \* et divites dimisit inanes.

Suscepit Israël puerum suum, \* recordatus misericordiae,  
sicut locutus est ad patres nostros, \* Abraham et semini ejus in saecula.  
Gloria Patri et Filio \* et Spiritui Sancto.  
Sicut erat in principio, et nunc et semper, \* et in saecula saeculorum.  
Amen

Festina quae sumus, Domine, ne tardaveris, et auxilium nobis supernae virtutis impende; ut  
adventus tui consolationibus subleventur, qui in tua pietate confidunt.  
Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula  
saeculorum.  
Amen